



SAPIENTIA ÆDIFICAVIT SIBI DOMVM,
EXCIDIT COLVMNAS SEPTEM. Prou: 9. vers. 1.

BASILICA
SAPIENTIÆ
SEPTEM COLUMNIS INSISTENS

Reverendissimis, Adm: Reverendis, Religiosis, Prænobilibus, Nobilibus, ac Eruditis DD.

AA. LL. & PHILOSOPHIÆ

BACCALAUREIS,

Cùm

è literario Philoſophici certaminis ſtadio

VICTORES

IN ANTIQUISSIMÆ AC CELEBERRIMÆ

UNIVERSITATIS VIENNENSIS

THEATRO ACADEMICO

PRIMAM DAPHNEM

LARGIENTE

R. P. IOANNE PFLEGER, Soc: IESU

AA. LL. & Phil: Doctore, ejuſdem Profeſſore ordinario, & eorundem DD. BACCALAUREORUM Promotore

Auſpicatò capeſſerent;

Ab ILLUSTRISS: FACULT: POËTICÂ VIENNENSI adumbratâ,

ANNO IVbILæo,

QVI à tertIIs Cæſarls noſtrI nVptIIs ter beatVs, neo Creatos BaCCaLaVreos MerItâ phILoſophIæ LaVreâ InsIgnIVIt.

Typis Matthæi Coſmerovij, S. C. M. Typographi, in Aulâ Colonienſi.

1651

Reverendiſs: Adm: Reveren: Religioſi,
Prænobiles, Nobiles, ac Eruditi
DD. BACCALAUREI.

SI quæ unquam ars ad rerum ſublunarium formam & effigiem propius accedere viſa eſt; palmam ſibi dubio procul, conſpirantibus in vota ſapientiſsimorum quorumquè calculis, ingenioſum picturæ artificium vendicabit. Et certè novit eruditus pictorum penicillus linearum decuſſatim iactarum differentiâ, aptiſsimo inter ſe nexu membra concatenare; diſtinctos in mēbris articulos ad amuſsim referre; novit hinc evibratos in altum oculorū radios, inde ſerenam vultus purpuram, pendulam capillorum elegantiam, lacteum cervicis ebur, amabilem oris venuſtatem, Symetriā deniquè & ordinem inter ſe partium, veritate uſquè adeò vivaci exprimere, ut in Zeuxis quâpiam tabella Adonidem non ſpirare ſolùm, ſed propemodum & loqui iurares. Nunquam antè vivacior Hercules, quàm ubi à Zeuxe denuò vitam mutuatus eſt: nunquam formoſior, ſibiquè per omnia ſimilior Venus, quàm ſub dexterâ Apellis: non uſquam bellicoſior Aiax, quàm in icone Timantæâ. Et quæſo, ubi unquam expreſsius raptam à Stygio Tenebrione

Proserpinam vidêre mortales, quàm cum id tragœdiæ ferale spectaculum, Nicomachus peritissimus naturæ imitator, in linteo, veluti in lugubri orchestrâ ob oculos proposuit? missam facio Parrhasij cortinam, Timantis Iphigeniam, Antiphili Satyrum, Nicearchi Gratias, laudatissima Protogenis artificia: unum illud illustre; Aristidem eo nomine vel Apelle maiorem iudicatum Thebis, quòd primus ipse humanum animum, sensusquê omnes penicillo adumbrârit. Jam verò, quid usquè adeò picturæ gemellum, quàm divinissima Poësis? est profecto in hâc, quod præ illâ suspicias; est quod Zoilus etiam, aut aliquis Lycambæo dente armatus Aristarchus largissimè admiretur. Nam siquid eximium Poëticæ arti à Superis concessum est; illud certè palmarium, quod suos rebus quibuslibet colores, ad invidiam effigiatricis naturæ, vivacissimè appingat. Statuerat Maro pernicissimum equi cursum exarare; quid eo velocius? cum

Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum

annè volat quadrupes artificio Poëtæ? Quid Sergestæa navis lentos inter deprehensa scopulos, an non etiamnum arte metri

Infelix saxis in procurrentibus hæret?

Quid unquam Didone luctuosius cum --- ferro

Collapsam aspiciunt comites, ensemquè cruore
Spumantem?

Et dum, Infixum stridet sub pectore vulnus?

Ex

Ex adverso, quid Æneâ, ac socijs ad hilaritatem excitatius, cum medijs è fluctibus

Italiam, Italiam primus conclamat Achates.

Demùm, ut rem verbo dicam, Poëta aptissimus naturæ imitator, quo nihil ad celeritatem concitatius, nihil gravius ad tarditatem, nihil profusius ad lachrymas, erectius ad gaudium, nihil ad exprimendos hominum animos, ac nativo colore depingendos accommodatius. Quidni ergo Pictor Poëta? cui calamus penicillus, sepia & verba color, tabella charta, prototypon sunt Marones, & Ovidij, Horatij, & Claudiani, Martiales, & Statij. Et verò, jam olim hoc de Poësi judicium Simonidis fuit, cùm adeò cognato vinculo Poësim Picturæ coniunctam esse sentiret; ut & Picturam, Poësim tacitam; & Poësim, Picturam loquentem appellaret. nec aliud in sua arte Poëticâ sensit Horatius, cùm dixit:

Ut pictura Poësis erit.

Patiemini proinde, Reverendiss: Religiosi, Prænobiles, Nobiles, ac Eruditi DD. Neo-Baccalaurei, si quam sapientia Basilicam extruxit, nos hodie Pictores Poëtæ eandem vobis in tenui hâc tabellâ pro modulo nostro, si non depingimus, saltem adumbramus. At nolim vobis aut Romæ capitolia, Cyri regiam, aut Alexandriæ Serapea imaginemini. nullum hic seu Phidiæ, seu Memnonis; nullum Lysippi aut Myronis scalprum cogitate. Hæc nostra Basilica divinâ gloriatur artifice, Sapientia;

Sapi-

Sapientia ædificavit sibi domũ, excîdit columnas septẽ. *Apage hinc Lysippi aurũ, Phidiæ ebora, Iphicratis metalla, & Praxitelis marmora; vivis delectatur simulachris Sapiẽtia: nec alios in molis suæ sustentationẽ columnas admittit, quã erudi-tos sapientũ vertices. Quòd si septenarium columnarũ numerũ desideratis; dabunt hunc septẽ illi* Græciæ *sapientes; quibus ceu firmißimis columnis universa olim sapiẽtiæ moles inniti credebatur. Animatam proinde hanc sapientiæ domum, seu verius Basilicã, vobis NeoReges Philosophi, hodie magno affectu, gestientiq; animo dedicamus. Debetur nẽpè Regibus Basilica: Reges estis, iam olim ita pronũciante Platone, tũ demùm optimè cum rebus humanis agi, quando vel Philosophi regnarent, vel Reges Philosopharentur. Et verò si præcipua Regum felicitas est, & nulli servire, & nullius indigere; quis Philosophos Reges esse inficiabitur, qui Philosophiæ beneficio, & animum verè liberum, & rebus humanis omnibus superiorem sunt consecuti? Agite igitur, NeoReges Philosophi, &* Divinâ Palladis arte *exstructum Sapientiæ Augustale, in rudi hâc tabellâ, rudiori Minervâ à nobis adumbratum, gratioso ac benevolo oculo respicite. Quod tum demùm abundè gratiosum erit, cùm* invenerit gratiam in oculis vestris.

NO-

NOSCE TE IPSUM.



QVid juvat insomnes studiis consumere noctes
Ingenio ut poßis multa tenere tuo?
Hæc sit prima tibi summæ Sapientia curæ,
Vt temet solum noscere posse queas.



Uc huc corollis inclyta Laureis
Pubes Stagiræ non remorantibus
Te ſiſte ventis; glorioſos
Huc properãs age flecte curr⁹.
Per regna veræ ſi Sapientiæ
Optas citatis pergere curſibus;
Non eſt Cleantis quod lucerna
Noctivagas tibi pellat umbras.
Nec eſt neceſſum quærere Pythij
Reſponſa Phœbi, vel Tripodem Jovis;
Non ſenſa vatum, vel recluſum
Fatidicæ folium Sibyllæ.
Huc verte greſſus, quà lavat Auſtrius
Iſter citato fluminis alveo
Campoſque, terraſq;, & ſuperbam
Cæſareis Aquilis Viennam.
Septem hic columnis ſtant laquearia
Subnixa molis, quêis Sapientium
Inſculpta formis exhibetur
Palladiæ Domus apta turmæ.
Laxatur iſthic pendula Delphici
Cortina Phœbi, quæ Sapientiæ
Orâcla non luſura pandit,
Et titulos Sapientis offert.
Ergo citato Philoſophi pede
Poſt tot furentis qui Boreæ Notos
Baccis viretis Laureati;
Huc oculos, animoſque ferte.

Quem

Quem literatæ diſcite gloriæ
Quadriga veræ ad regna Scientiæ
Per tot labores, atque curas,
Per vigiles vehat axe noctes.
An qui diſertæ nectare copiæ
Largoque ſuadæ flumine perpluit?
Aurata vel qui ſaxa dulci
Ad numerum modulatione
Ducit, canoris cantibus æthera
Nerviſque replens ſuave ſonantibus
Sylvas comatas, & ferarum
Indomitum domat ore cœtum?
An quem eruditi nominis extulit
Rumor per orbem, dum variabilem
Terram relinquens, per polares
Ingenio ſpatiatur ignes?
Verum remotos quid juvat ætheris
Signare gyros? quid varios maris
Fluxus, refluxus? quidvè rerum
Omnigenas penetrare cauſas?
Si temet ipſum noſcere negligas
Curâque nullâ notitiam tui
Habere tentes? quâ carendo
In medijs jacet omnis umbris.
Hoc ſcire primum convenit omnibus
Quid mens recondat cordis in intimo;
Et prævidere curta tecto
Num proprio lateat ſupellex.

Hanc in profundo vos Sapientiæ,
TE NOSCE, ſemper pectore conditam
Servate legem, Laureatæ
Quos decorant hodie coronæ.
Ad hoc probetis vos ſpeculum velim,
Domum priuſquam Palladis inclytæ
Subitis, arcanis Sophiæ
Conſilijs animum daturi.
Sic veſtra creſcet ſemper adorea,
Rigata veræ fonte Scientiæ,
NOSCENDO SE, Verni viroris
Perpetuos referens honores.

ITa eſt DD. NeoBaccalaurei, nunquam ſine honore eſt Sapientia, quæ ſe ipſam novit. Compendio eam aſſecutus eſt, qui ſe ipſum didicit noſcere; ſi tamen compendioſum id dici debet, quod Thaleti Mileſio eſt difficillimum. Dixerit, & bene, Regius Vates, initium Sapientiæ eſſe timorem Domini: *Dicamus nos initium, & finem ejuſdem Sapientiæ eſſe*, notitiam ſui. *Acutam habet oculorum aciem Philoſophus, qui in Sapientiæ poſitus ſpeculâ, ſe ipſum in primis videre conatur non alibi, quàm in ſpeculo vitæ. Si ad Cleantis lucernam ideo vigilet, oleum & operam non perdit. Sapientis gaudet nomine, qui Naturæ arcana novit; Sapientiſſimi, qui ſe ipſum.*

Ferdinandus Bonaventura Comes ab Harrach.
Joannes Baptiſta Pinell, Provincialis Viennenſis.

Carolus Franciſcus L. B. à Scherffenberg.
Franciſcus Carolus Sartorius à Schvvannenfeld, Provincial.

NULLA

NULLA DIES SINE LINEA.



QVotidie volucri rapitur ſuper æthera curru
Cynthius, atq; ſtatas itque reditq; vias.
Hunc, Sophe, ſi ſequeris, Laurum mercare labore:
Nulli per ventos aſſa columba venit.



Ullus ſupino in otio obſcurus latet
Honor: repellit deſides.
Si quem veterno torpor ignavus premit,
Non is coloſſos inſtruet.
Cum miles acto prælio clypeum ſuper
Feſſis recumbit artubus;
Tunc & labori debitam laurum ſuo
Non vanus augur ſomniat.
Fugit otioſum Daphnis ignavi caput
Frontemque Baccâ cingere.
Soror eſt laboris Gloria: ut ſpinis roſa;
Sic hæc labori jungitur.
Non una, crede, gutta ſudoris, ratim
Plenam trophæis provehit.
Sudandum, agendū eſt: palma non venit, niſi
Pretio laboris improbi.
Laborem eodem & Gloriam fugis pede.
Nulla abs labore Gloria.
Parùm ſepulchro diſtat, ignavo terit
Quicunque tempus otio.
Quicunque Phryxi vellus auratum cupis;
Adito Colchos impiger:
Committe fragilem Nerei cymbam minis
Vitamque ponti fluctibus.

Trana

Trana charybdim, vince Scyllæos canes,
Supera furores Æoli.
Attende deſes ſidera: viden' ut ſuis
Singula laborant motibus!
Attende Phœbum: cerne, quotidie ut ſuos
Curſu labores innovat;
Vnamq́ue quovis lineam ducit die,
Quietis omnis inſcius.
Qui ſi vel uno ſiſteret motum die,
Periret Univerſitas.
Adverte pontum: modò fluit, refluit modò,
Nunc intumet, nunc detumet.
Putere gravius ſtagna, ni moveas, ſolent:
Et æs perit rubigine,
Quod lima non frequentior & uſus polit.
LABOR EST AD OMNIA UTILIS.
Hoc Pallas haſtam Sophica conſilio vibrat;
Vt turpe ceſſet otium,
Cadatq́;, quiſquis DIte prognatus ſopor
Aciem venenat ingenîj.
Age ergo Sophe, qui Gloriam & laurum ſitis;
Mercare callo Gloriam.
Suda, Labora, Lauream & Baccam rapit
Calloſa tantùm dextera.

Vive,

Vive, & quot addent fata viventi dies;
Tot duc laboris lineas.

AD ſapientiæ apicem conſcendere, labor eſt. non negamus. operoſi moliminis res eſt, & difficultate pleniſsima Philoſophum evadere. fatemur. at eluctandum, & nervis omnibus enitendum. Audite Senecam: Generoſos animos Labor nutrit. Laborem ſi recuſes, parum eſſe potes, *nedum Philoſophus. Profectò non eſt Viri timere ſudorem; nec eluctantis in excelſum pectoris, ſine pulvere, incruentam ſibi victoriam polliceri. Ante, ô mollicelle Sardanapali Nepotule, Alcimachum credas, qui Dioxippum hoc in Pancratio, egregius enimverò Palæſtrita, citra pulveris tactum proſternas? Cum Minerva manum move, ſi animoſi ſub fibris bulliunt ſpiritus; ſi immortalem Philoſophorum gloriam invidendo conſtitutam loco ſuſpirioſis votis anhelas. Apelli dies nulla ſine lineâ. age, manum move, perdita dies abijt, quæ abijt ſine lineâ. nîl pictor ſine lineâ, & nîl Philoſophus. Si Laërtio fidem adſtruimus, Cleanthes Philoſophus, Hercules alter vulgò audijt, eò quod labores omnes conſtantiſsimo animo exſorberet, noctuq; aquam pro mercede hauriret, unde victum ſibi diurnum pararet. Vt Philoſophus, audiret Hercules, fecit labor. Hercules & vos eſſe poteſtis DD. Neo-Baccalaurei, ſi eam, quam nacti eſtis ſpartam gnaviter adornetis. Clavam Hercules, calamum Philoſophus gerit. illa monſtra, hic inſcitiam, trucidat. illam quis Herculi, & hunc quis animoſo Philoſopho extorſerit?*

Adamus Guilielmus Comes & Dominus à Brandis.
Joannes Ignatius Marienbaum, Nob. Vien.
Jacobus Andreas Leopoldus Comes & Dominus à Brandis
Joannes Matthias Pòrl, Nobilis Viennenſis.

NVLLI

NULLI PENETRABILE TELO.



P *Elidæ pectus* nulli penetrabile telo
Munijt à ſtygio conditus umbo fabro.
Si cupis adverſæ, Sophe, tela retundere Sortis;
Invia vulneribus ſcuta Sophia dabit.



Heu! volucri vertimur orbitâ,
Sortiſque ſævo ludimur impetu:
Nihil ſtat æternum aut perenne;
Quicquid habet ruiturus orbis.
Nil hic perennat. fabula luditur
Fallentis ævi: ſyrmate, penulâ,
Soccis, cothurnis. Syrma geſtat
Nunc aliquis Pronepos Atridæ?
Mox luctuosâ dura cataſtrophe
Cùm fata ſcenam & pegmata ſubruent;
Vaneſcet in ventos imago
Ludibrium variantis auræ.
Quem denſa ſtipat turba clientium,
Et ſortis audit filius aureæ;
Mox orbis exul de theatro
Deijcitur poſito cothurno.
Ah! alta quiſquis regna premis gradu,
Et Rex in aulâ es; fultaq; tetricis
Regum paludamenta curis
Ex humeris fluitare cernis;
Casûs memento. vertitur omnium
Fatalis urna. & quos prius aurea
Sors fovit; excuſſis tiaris,
Perfidiæ ſtatuit trophæum.
Vertente fatô ſceptriger Hannibal
Expes veneno pectora perfodit:
Sic Commodique & Pertinaces
Viſceribus moriuntur hauſtis.

Miſer nitenti de ſolio cadit,
Et trina ſcandit ligna Polycrates:
Numen ſuperbum Vandalorum,
Mordet onus Gelimer catenæ.
Quid ille, victus qui juga Tartari
Tulit ſuperbi? heu! triſtè canens avis
In ferreis clathris gemiſcit;
Regificæ canis inde menſæ,
Ad oſſa prodit. Fidite proſperis;
Faſtigiato fidite vertici;
O cæca, mortales, futuri
Pectora! rara comis locata
Ad uſque canos ſtant diademata
Quem vidit Eos culmine regio;
Hunc proſperis indormientem
Præcipitem dabit Heſperugo.
Sic ſors potentes invida ſubruit,
Regumque caſus præcipites rotat.
Solus Sophus ſortis rotantis
Fulmineos remoratur auſus.
Ceu quondam Achilles vulnera neſcijt
Haurire fibris, impenetrabili
Vmbone tectus, quem Sicana
Mulciberi fabricârat incus.
Sic quem Sophiæ non penetrabilis
Obarmat umbo. credite, pectoris
Si quando Fatorum ſerenum
Turba ſtatum quatiet minantûm;

Non' ille turpi terga dabit fugæ,
Aut ſe furentis ſubtrahet ictibus;
Stabit, repentinoſque ſortis
Impiger excipiet tumultus.
Ergò, ſi amicos blandior explicet
Fortuna vultus; deſpice: fulminat?
Prætendito ſcutum Sophiæ,
Telaque non trepidus retundes.

Est hæc tertia Palladiæ huius Baſilicæ columna, Neo-Reges Philoſophi, DD. Baccalaurei; pectus ſcilicet nullis adverſitatum telis, nullis novercantis Fortunæ furoribus penetrabile. Fabula eſt, Achillis ſcutum à Vulcano fabricatum nulli penetrabile telo fuiſſe. hiſtoria eſt, Philoſophi, hoc eſt, Sapientis animum nullis adverſæ ſortis inſultibus expugnari poſſe. Philoſophia nempè, clypeus eſt Achillis. lacertoſus ſit oportet, & Scientiæ præſtans robore, cui id genus clypeus conveniat, non cuivis etiam Patroclo accommodatus. Iſthoc clypeo, hoc ſcuto quot non Lycambæas hydras, Philoſophiæ oſores, Mænaleos Leones, monſtra Ignorantiæ armatus Philoſophus conficiet? ut non immeritò plus laudis habeat hoc inexpugnabile Philoſophi ſcutum, quàm gladius Hectoris, Harpe Mercurij, Neptuni fuſcina, framea Martis. Agite ergò Domini NeoBaccalaurei, mares induite animos, & vos clypeo hoc veſtro inſtruite: nec hoſtiles Invidiæ impetus reformidate: certa enim ibi ſolet eſſe victoria, ubi Sapientiæ armis pugnatur.

Ioannes Baptiſta Gorizzuti, Provinc. Auſtriacus.

Franciſcus Adamus Feigenputz, Provincialis Auſtr.

Franciſcus Chriſtophorus ab Egra, Nob. Viennen.

Ioannes Baptiſta Hampelius, Nob. Viennen.

VIR-

VIRTUTE ET SAPIENTIA.



TYndaridæ gemino ſi antennas ſidere lambant;
Portendunt fauſtum ac molle per æquor iter.
Qui ſine naufragio vis currere Palladis æquor;
Iungito Virtutem Palladi, tutus eris.

Damantino consortio
Et Pallas atque Virtus,
Clauduntur uno pectore,
Throno morantur uno.
Sine hâc nec illa penditur,
Nec hæc placet sine illâ.
Si tollis hanc, jam Cynthium
Dicêris abstulisse.
Si tollis illam; Cynthiam
Dicam deesse cœlo.
Utramque tolle; corruet
Tenebris sepultus orbis.
Si reddis hanc, jam Cynthium
Cælo suum dedisti.
Si reddis illam, Cynthiam
Te reddidisse dicam.
Utramque redde, gestiet
Lumine coruscus orbis.
Ita nempè in unâ consident
Et hæc & illâ sede.
Virtus coronat Palladem,
Et hæc coronat illam.
Sic mutuò se fæderant,
Et mutuò cohærent.
Si pulsa Virtus orbe sit;
Pallas sequetur exul.
Aut si remaneat, angulo
Obscura delitescet.

Nimi-

Nimirum ab illa gloriam,
Lucemq; mutuatur.
Quisquis superbis Pallade,
Cerebrumq; Thraso jactas;
Nisi comes adsit Palladi
Virtus, inane jactas.
Si vis secundum currere
Felicitatis æquor:
Hæc gemina velis sidera
Colluceant, necesse est.
VIRTVTE nempè & PALLADE
Perîcla mitigantur.
Sic quando sidus Tyndari
Gemino refulget astro;
Sumunt secundum navitæ
Felicitatis omen.
Tum nulla metuunt æquore
Perîcla navigantum.
Jocantur undis Dorides,
Et ludit Amphitrite.
At si vel absque Castore
Pollux, sine hoc vel ille
Suo igne lambat cornua,
Aut vela prenset unus,
Perîcla signant proxima,
Et ultimam ruinam.
Tunc mille Pontus fluctibus,
Mille æstuat procellis.

Virtu-


Virtute ſine ſi navigas,
Licet adſit una Pallas;
Vndis peribis naufragus,
Jactaberis procellis.
Ledæa fratres aſtra ſunt,
Junctiq; fauſta ſpondent.
VIRTVSQ; ſoror eſt PALLADIS;
Has junge, & es beatus.

NOn ſapis ô Philoſophe, qui Virtutem â Sapientiâ dividis. Si immortalis gloriæ bigâ vis prevehi, geminâ hac Virtutis ac Sapientiæ *rotâ opus eſt. Si vis ſine naufragio, procelloſum hoc vitæ tuæ æquor enavigare: cave ſis, ne gemino hoc* Virtutis ac Sapientiæ *ſidere deſtituaris. Periculosè navigat, quiſquis ſine his ſeu ducibus ſeu comitibus navigat. Iam olim formidabile nautis & exitiale fuerat, ſine gemino Caſtoris ac Pollucis ſidere navigare. Fratres illi fuêre;* Virtus & Sapientia *ſorores ſunt. Non minor inter has, quam illos neceſſitudo intercedit. Quiſquis proinde ad deſideratum gloriæ portum anhelas;* Virtutis *ac* Sapientiæ *auſpiciis provehere.*

Ferdinandus Leopoldus Breüner, Lib. Baro Auſtriacus.
Sigefridus Chriſtophorus Breüner, Lib. Baro Auſtriacus.
Carolus Doll à Dollburg, Nobilis Tyrolenſis.
Carolus Godefridus Pichler, Nobilis Auſtriacus.

SIC

SIC INIICE FRÆNA VOLUPTÆ.



QValis compedibus constrinxit Nerea Xerxes,
Compulit & tumidum vincla subire salum:
Fortia præproperæ sic inijce fræna Voluptæ;
Hanc rege, ne pereas; ne capiâre, cape.


Uisquis purpureo Syrmate clarior
Rex in gemmifero considet essedo
Subjectasque potenti
Gentes imperio premit.
Hunc si vel proprij dissidium trahat
Captivum imperij; continuò ut ruat,
Quo vesana libido,
Aut æstus animi vocant;
Indignus validi nomine Regis est:
Turpe hunc Mancipium dixero veriùs.
Rex est, qui Sapienti
Se primum imperio regit.
Jactet lata alius regna Borysthenis,
Aut metas alius prædicet Herculis;
Sunt angusta Britanni
Quamvis maxima littora:
Non sic vasta tenent regna Nasamones;
Strictis imperitant finibus Ausones;
Argivique Phrygesque,
Gætulique, & Achæmeni.
Non Parthos memoro: cedite Dardani,
Indi, Massagetæ. Latius imperat,
Qui solus sine vulgo
Liber, vota regit sua.
Imbelles animos parce fidelibus
Præmunire pylis: neu latus aspero
Vel lorica, vel umbo
Cinctu; neu pharetræ tegant.

Ante

An te Sauromata, an lectus ab ultimis
Miles Bæticolis ambiat, an Geta;
Ne cura, tibi factus
Et ductor tuus & pugil.
Regem bellipotens non faciet cohors,
Non vulgi rutilans purpura ſanguine,
Aut gemmâ, rutiloque
Auro frontis apex micans.
Rex eſt, immodicos qui domuit metus,
Qui ſolus tacitè caſtra ſibi facit,
Fortunamque duello
Caſumque aſſiduo ciet.
Ceu quondam tumido vincula Nereo
Xerxes inijciens, ſub juga compulit,
Captivumque ſuperbis
Vinxit compedibus mare.
Non tantis refluunt fluctibus æquora;
Quantis unum hominis pectus ab æſtibus
Fervet, perpetuoque
Euripos patitur ſuos.
Hoc quiſquis pelago naufragium times;
Turgenti validas inijce compedes.
Iram nempè & Amorem,
Faſtumque imperio preme.
Quiſquis docta ſuo fræna Cupidini
Aut deſiderijs impiger inijcit;
Rex eſt. latius aſtris
Ac orbe imperium tenet.

SIc omninò eſt, DD. Neo-Baccalaurei. Sapiente nemo latius imperat. Sint ſua Aſſveris, Cyris, Darijs, Claudijs, Neronibus, ac Tiberijs ampliſsima imperia; jactent, per me licet, ſceptra ſua Auguſti, Crœſi, & Alexandri: latiùs imperat; qui ſolus, vulgoq́ exemptus vota ſua ac deſideria certis legibus moderatur. Fruſtra imbelle pectus aut loricâ cingis, aut umbone tegis; niſi tuus tibimet fias & miles, & pugil, & Imperator. Exiguum quidem regnum ſumus: qui tamen ſeipſum ſibimet laudabili imperio ſubdidit; Hic Vir, hic Rex eſt. Armata militum cohors, longus Satraparum Ephœborumq́ ordo, vulgi ſanguine tincta purpura, aut coronatus diademate vertex, Regem non faciunt. Quem propriæ captivum trahunt cupiditates, cui effrænis dominatur ambitio, quem ſuperbia inflat, Libido enervat, gula diſtendit, Invidia exedit, furor accendit; licet Europam, & Aſiam, Africamq́ omnem imperio ſuo teneat; non Rex, ſed purpuratum cupiditatum ſuarum mancipium rectiùs appellabitur. Qui ſibimet imperare, & cupiditatibus ſuis fræna inijcere novit; hic demùm Rex eſt. Injecerat quondam aureas Ponto compedes Xerxes; rectius procul dubio facturus, ſi eas faſtuoſo animo, quo tumebat, injeciſſet. Nullum ſanè mare tantis unquam fluxibus ac refluxibus agitur, quantis vel unus vitioſi hominis animus cupiditatum æſtibus; ceu Euripus quidam agitatur. Huic proinde, quiſquis ad ſapientis, ſeu veri Regis laudem aſpiras, vincula & compedes inijce, ut illud aliquando audias: quis eſt hic, quia venti & mare obediunt ei.

Erneſtus Pötſchovitſch, Lib. Baro Auſtriacus.

Caſimirus Pötſchovitſch, Lib. Baro Auſtriacus.

Sebaſtianus Reringer, Nobilis Carniolus, Convictor.

Ioannes Philippus Alberth, Civis Viennenſis.

NE

NE QUID NIMIS.



ICarus & Phaëthon nimium dum viribus audent,
Casu per præceps lapsus uterq; perit.
Qui sapit ac sentit, medio tutißimus ibit,
Nempe nec ima nimis, nec nimis alta petet.

RIdete poſthac Icarum Nymphæ maris:
Qui cum ſub ipſas ſiderum ac ſolis vias
Incautus ales tenderet; præceps ruit,
Suoq́ue caſu nomen impoſuit freto.
Infauſtus ales! prodromum linquens patrem
Æquo altiores Icare inſiſtis vias.
Metue ruinam: penna ſub tumulum ruit,
Quæcunq́ue ſtellis compari niſu volat.
Nimis alta quiſquis appetis, caſum paras:
Qui preſſa nimium ſequeris, abjectus jaces.
Medium teneto: ſiſtit in medio ſalus.
Extrema tentas? heu cave! NE QVID NIMIS.
Extrema ſecum ſemper extremam ſolent
Trahere ruinam. tutus in medio latet
Qui extrema vitat: nimia, qui quærit, perit.
Expertus hoc es propriâ quondam miſer
Phaethon ruinâ, patre cum invito licet
Currus paternos regere, & alipedum in diem
Jus omne peteres. patria tempſiſti inſolens
Iterata monita: nate, cave, NE QVID NIMIS:
Grande eſt, quod optas: viribus petis tuis,
Majora Phaethon: te eſſe mortalem ſcias;
Mortale non eſt, crede, quod patrem rogas.
Formis ferarum mille, & inſidijs iter
Periculoſum poſtulas: NE QUID NIMIS.
At ſurdus hic monente nequidquam patre
Inſtare votis, quoſq́ue petijſſet ſemel
Vrgere currus; uſquedum voti ſimul

Com-

Composque & impos, currui insistens levi
Per omne raptus avium, effusis ruit
Præceps habenis; vindicis demùm Jovis
Afflatus igne, debitas tanto luit
Pænas furori. Nempè sic præceps cadit,
Quicunque se majora malè cautus petit,
Sapientis una hæc tessera est: NE QUID NIMIS.
Nec fausta nimium, læva nec nimium pete.
Consiste medio. Cuncta si ad votum fluant,
Et sorte blandà gaudeas; NE QVID NIMIS.
Si læva frontẽ caperet, aut gravibus premant
Te fata superûm luctibus; NE QVID NIMIS.
Lætitia nec te nimia, nec mæror gravet.
Hinc te charybdis, inde Scyllæi canum
Manent latratus, casus utrinque imminet.
Vel hinc, vel inde captus, haud dubiâ miser
Peris ruinâ, media ni teneas freta.
Incede medius, nulla quæ metuas, habes
Perîcla Ponti: solus insipiens abit
Quicunque medio, certa naufragij subit
Perîcla. Nempè

MEDIO TVTISSIMVS IBIS.

Hoc

Hoc nempè est, neq; ad dexteram, neq; ad sinistram declinare. Medium semper tenuit, quisquis â ruinâ procul esse voluit. Icarus incautus nimium ales, dum â medio deflectens, & supremam aëris regionem fragili ac cereo pennarum remigio tentat, inde ob vicinum solis jubar labascente in humeris pondere, in subjectum mare delapsus, damno suo miser discit, Omne nimium verti in vitium. *Sic non minus miser Phaëthon, dum patrij currûs habenas moderari imperitus nimium auriga præsumit; medio non sciens consistere; sed præfixos sibi â patre viæ limites egressus, cœlum omne terramq; flammis incendens, tandem Jovis ignibus ictus, & in subjectas Padi aquas deturbatus, luculentè satis docet aureæ mediocritatis fines sine aperto salutis discrimine præteriri non posse. Et hoc est, DD. Neo-Baccalaurei, quod Pittacus ille Mitylenæus de septem Græciæ sapientibus unus, monere identidem solitus fuerat:* Ne quid nimis. *Quem si & vos monentem auditis, Neo-Bacbalaurei; beati estis, beati inquam, quia* medium tenuêre beati, *quibus* Virtus in medio *semper consistit.*

Ioannes Christophorus Stupan, Provincialis Viennensis.

Leopoldus Wüerth, Austriacus Viennensis.

Ioannes Schletzer, Nobilis Viennensis.

Ioannes Franciscus Winsaur, Nobilis Viennensis.



SUNT

SUNT FULMINA LAUDI.



F Vlmine cerva parit. manet inter fulmina Olympus
Tutior, & culmen nubila nulla premunt.
Sorte tonante Sophus parit, & ceu alter Olympus
Perpetuare animum ſcit ſine nube ſuum.



Uiſquis excelſum Sapientis ambit
Nomen; adverſis ſapiat neceſſe eſt.
Pallas & Virtus habitant eâdem
Sede Sorores.

Nempè præcelſi reſident Olympi
Vertice, & lætos ſine nube Soles
Exigunt ambæ, & ſtabili perennes
Pace fruuntur.

Vera laus veri Sapientis hæc eſt;
Inter adverſos tenuiſſe caſus
Pectus invictum, & retinere vultum
Semper eundem.

Qualis excedens tetricas Olympus
Nubium pugnas, placidus refulget
Verticein nubi, & glaciem rigentis
Deſpicit Hæmi.

Nullus hunc ſævis Aquilo procellis,
Nulla ventorum exagitant duella:
Huc nec excuſſi penetrant triſulci
Fulminis ignes.

Semper innubi renitet ſerenus
Ambitu vertex: neq; fulminantis
Ætheris quicquam trepidant furenti
Culmina motu.

Talis æternâ ſtabilis quiete
Ridet iratæ ſapiens furores
Sortis, & conſtans caput è dolorum
Nubibus effert.

Ardeat flammis domus, atq; fument
Patrij injectis facibus penates,
Obvijs fines populetur hostis
Barbarus armis.

Astra frangantur, trepidamq; cælo
Lampadem Phæbus rapiat sub orbem,
Inter has vultu Sapiens ruinas
Stabit eodem.

Hæc viri vita est Sapientis, illam
Quam semel frontem induerit, tenere
Semper, & nullo impavidum moveri
Turbine Sortis.

Sæpius duris agitata Virtus
Casibus crescit, lapidisq; ad instar
Lydij, quæ sint animi profundo
Condita, monstrat.

Sic ubi crebro micat axis igne,
Et polo utroq; increpitant tonitrus;
Tum gravis fætu parit inter ignes
Cerva trisulcos.

Sit licet raris gravidum Sophorum
Dotibus pectus; tacitæ latebunt,
Attonent hos nî truculenta Sortis
Fulmina partus.

Non minùs verè, quàm benè de Sapientia sensisse illi mihi videntur, qui eam non secùs ac Virtutem ipsam in arduo collocatam esse pronunciârunt. Dictum benè! nunquam inter blandos Soles tam serenum caput Olympus exerit; quàm placidum tranquillumquè animum inter tumultuantis Sortis tempestates præ se ferunt Sapientes. despicit ille innubi vertice desævientes infra se fulminum, imbriumq́; procellas. Sapiens vultu semper sereno incedens, è nubibus semper eluctatur, & quò fœdior contra insurgit tempestas, eò nunquam non micat Sol venustior. Nullam hic metuit tempestatem supercilium, nullæ madent in oculis pluviæ. Adeò nempe genuina est Sapientis cum Olympo indoles. nulla Olympo sine fulmine laus; nulla Sapienti sine constantiâ in adversis est gloria. Quid, quòd nusquam fœcundior esse soleat Sapientia, quàm inter medios adversantis Fortunæ tonitrus? Cerva inter tonitruum fragores felicissimè fœtum effundere fertur. nunquam Sapiens fœcundior, quàm cùm ab invidâ Sorte maximè fulminatur. Ita jam olim sensit sapiens Cleobulus, dum illud in Philosopho primum desideravit, adversâ perstrepente Fortunâ non frangi.

Ernestus Rudgerus Comes & Dominus à Stahrenberg.
Franciscus Bernardus Olischer, Nobilis Austriacus.
Ioan. Franciscus Festa, Nob. Vienn.
Ioan. Anselmus Casimirus Scheffer de Leoncastro, Provinc. Ratisp.
Ioan. Andreas Viechter à Grueb, Nobilis Viennensis.

Placuit

Placuit hic coronidis loco, priusquam manum à tabulâ removeremus, operi nostro (quod Pictores assolent) laboris annum subijcere. Pinximus igitur,

quo Anno

TertIa FernanDI sVbsCrIpsIt sponsa trIVMphIs.

VIVat Vt IstrIpotens, IVppIter æqVe faVe!

Antonius Ludovicus Leix à Leuxenstein Provincialis.

Quo item Anno verum erat dicere

HoC Anno ELeonora Desponsata est FerDInanDo,

Joannes Anselmus Casimirus Scheffer, à Leoncastro, Provin. Ratisbon.

Et X. MaII R. P. Ioannes PfLeger soC: Ies: In VnIVersItate AVstrIaCo-VIennensI BaCCaLauVreos CreaVIt.

Joan: Christoph: Stupan, Provinc. Vien.

Quapropter

LætetVr FerDInanDVs TertIVs tertIâ Con-IVge potItVs. IVbILate Neo-BaCCaLaVreI sCIentIæ LaVro honoratI,

Carolus Godefridus Pichler,
Nobilis Auſtriacus.

Et AVgVſto CæsarIs FerDInanDI TertII AVſtrIaCI, & ELeonoræ ThaLaſsIo, Veſtras Neo-BaCCaLaVreI VIennenses sVbſternIte LaVros:

Joannes Chriſtoph. Stupan,
Provincial. Vien.

Vnaq; nobiſcum animitus vovete:

VIVat Neſtoreos FerDnanDVs TertIVs annos!
VIVat Io feLIX & Leonora DIV!

Joannes Andreas Viechter à Grueb,
Nobilis Auſtriac. Vien.

CHRO-

CHRONOSTICHON
AD
Neo creatos DD. BACCALAVREOS.

Bellabas, ac abijciebas Physice Spinam,
Physica fert palmam, jam cape, Socraticam.

Alphabeto jam olim sic æstimato.

a	b	c	d	e	f	g	h	i	k	l	m	n	o	p	q	r	s
1	2	3	4	5	6	7	8	9	0	10	20	30	40	50	60	70	80

t	u	x	y	z
90	100	110	120	130.

Resoluta.

B	2	b	2	P	50	i	9
e	5	a	1	h	8	a	1
l	10	s	80	y	120	m	20
l	10	P	50	s	80	c	3
a	1	h	8	i	9	a	1
b	2	y	120	c	3	p	50
a	1	s	80	a	1	e	5
s	80	i	9	f	6	s	80
a	1	c	3	e	5	o	40
c	3	e	5	r	70	c	3
a	1	s	80	t	90	r	70
b	2	p	50	p	50	a	1
i	9	i	9	a	1	t	90
i	9	n	30	l	10	i	9
c	3	a	1	m	20	c	3
i	9	m	20	a	1	a	1
e	5			m	20	m	20
	153		548		544		406

Collectio quatuor columnarum, per Additionem Arithmeticam.

153
548
544
406

Facit 1651. Annum,

Rari affectus ac Neo creatorum Baccalaureorum ergo sic lusit

Cyriacus Weberus Westphalus Warburgensis Seminarista.

CHRONOSTICHON.

annVs aDest, sponsIs In qVo AVstrIa faVsta trIVMphat,
sertaqVe LaVrIsophI LaVrea fronte gerVnt.

ALIVD.

baCCIfer eLVXIt qVI LVXIt sponsIfer annVs,
sponsIfer IMperIo, baCCIfer ILLe sophIs.

Ita posuit
Franciscus Bernhardus Olischer.

O. A. M. D. G.

607. (University of Vienna) Pfleger, Ioannes. BASILICA SAPIENTIAE Septem Columnis Insistens. . . . With engraved frontispiece and seven engraved emblems. Thin 4to, decorated boards covered with Baroque gold-and-flower paper. Vienna 1651. $110.00

An emblem book for the Graduation Ceremonies of the Philosophical Faculty of the University of Vienna, in 1651. The Temple of Wisdom of the title is illustrated on the engraved frontispiece; the 7 columns consist of statues of the Seven Wise Masters who hold up the roof of the temple. On the roof are seven female liberal arts. Each of the seven emblems is for a different group of graduates; it begins with a general praise of learning and philosophy with "Nosce Te Ipsum" and "Nulla Dies sine Linea". Each picture is followed by a Latin poem and by a short address to the graduates whose names are given at the end of each chapter.

An interesting example of how emblematic thinking penetrated daily life and customs, especially in academic circles.

Lower margin of frontispiece cut short, otherwise fine copy.

